


FRANCISCI MOMORANCII DUCIS LUCEMBURGI



ENSIS RELATUS INTER ASTRA.



Ucemburgi animos & inexpugnabile pectus
Fama canet : tenui ſat erit mihi prodere cantu
Heroïs fatalem enſem quæ forma ſecuta eſt,
Illatum cœlo : novus unde ardere Cometes
Creditur, & Batavis portendere funera terris.
Compoſitum triſti feretro lachrymabile corpus
Lucemburgiadæ communi Gallia fletu
Mœſta ſequebatur : pompæ medium inter honorem
Deſuper in nimbo Mars adfuit. Ordine longo
Circum adſunt bellantum animæ, quæque ignea Olympi



Templa colunt, quæque in terris mortalia corda
Exſtimulant, pulchroque accendunt laudis amore.
Tum Deus, utque oculos, pallentiaque ora jacentis
Reſpexit, ſortemque animo miſeratus acerbam eſt,
Heu! quem te aſpicio, ſanguis meus; invida fata
Heu ſinerent! clade AURIACUM affeciſſe ſupremâ,
Et totis poteras Belgarum expellere terris.
At neque Bellorum finis tibi. Funera faxo
Poſt tua te pavidus metuat quoque, & horreat hoſtis.
Nec plura, in medios devoluitur, armaque ut alto
Affixa exſtabant feretro, Deus extulit enſem
AURIACI domitorem enſem: ſimul aëra tranans
Evolat, immenſi ſimul alto vertice cæli
Conſtitit, unde polo late Anglica regna videri,
Et Batavorum urbes ſolitæ, & Germania tellus.
Exertat Mavors gladium, in nubeſque coruſcat
Sanguineum, ardentem: qualis, cum nubila fulgur
Dividit, accenſis rutilat longe ignibus aër,
Ampla repercuſſi rutilat plaga cærula ponti.
Arrexere oculos Batavi, arrexere Britanni,
Ut vero feralem enſem agnovere per auras
Oſtendente Deo, ſubitus per cælum ululatus
Exoritur: ſtupet AURIACUS, male conſcia terror
Corda quatit; trepidâ funeſtat imagine mentem
FLEURUSIUM, STEINKERKA, & non reparabile LEUZÆ

Opprobrium, ſpumanſque alto NERWINDA cruore,
MONTESque, infauſtumque & adhuc BODEGRAVIA nomen,
VORDENIUM, & fruſtra cinctum aggere CARLORÆUM,
Omnia quæ timido Batavus dum pectore Ductor
Voluit agens, triſteſque animo reminiſcitur auſus.
Bellipotens cœlo æternum dat fulgere ſydus
Clarum ex alto enſem. Nuſquam mora, ductile ferrum
Flammarum in longos viſum ſe extendere tractus
Scintillans, gelidaque poli in regione locatum,
Reſpicit unde truces haud læta luce Britannos
Deſuper, horrendum Batavis trepidantibus omen.
Interea Martis comites plauſum æthere toto
Ingeminant, ſyduſque novum læto agmine cingunt
Ludentes cœlo, & feſtum Pæana canentes.
Tum MOMORANCIADEN, audacis & inclyta dextræ
Facta ferunt ; primis NASSAVUM ut fuderit annis
Aſſueritque fugæ juvenem, ut victricia ubique
Arma manu circumtulerit, Batavumque ruinæ
Fruſtra obluctantem vexaverit intimus hoſtis.
Salve NASSAVI terror, MOMORANCIA proles
Enſe potens, tu Fulmineæ compendia pugnæ
Inſtituis, nudoque doces concurrere ferro,
STEINKERKÆ quo more acies. Procul ignea grando,
Sclopeti procul importunum & inutile pondus,
Enſem adhibes, uno enſe volas, enſem omnia tela

Eſſe jubes; terrore fugam ſimul arripit Anglus,
Belga ſimul, Bavari fugiunt, fugit acer Iberus,
Conciſa in mediis rareſcunt agmina campis.
Munere quo, tua rite memor, tua conſecrat arma
Bellantum pater, & cœlo locat ipſe ſereno
Æternum decus, uſque ſuum dum ſplendida lumen
Aſtra dabunt, ſtabitque ingens medio aëre tellus.

Talia per cœlum memorant; applauſit Olympus,
Applauſere procul populique, & Gallica Regna,
Fatiferumque enſem læto clamore ſalutant,
Et LUCEMBURGI referunt ad ſydera nomen.

F. TARILLON, S. J.